Honoratissime Domine Collega!

Perlectis ac perspectis Adnexi :/: tenoribus – cuncta Tibi Magister Scientiae innotescent. —

Omni fervore juvenili (: qua Assistens Cathedrae :) cultam Scientiam amabilem intervallo 26 annorum – multifariis officiis publicis onustus – pene deserere coactus – ante biennium denuo fovere posse (: licet suppletoria tantummodo ratione :) destinatus – omnem adhibui operam : ut Institutum hoc nostrum desertum ac desolatum faciem horti denuo induat.

Majestas Sua caesareo-regia, Serenissimi Principes Archi-Duces Stephanus ac Josephus, Principes Lichtenstein et Schwartzenberg, Comes Harrach ac hortus botanicus Viennensis – benevolo nutu Collegae Fenzl – sua contribuebant nobis e serie Exoticarum. Plantarum autem sub dio colendarum <u>Dona</u> nobis suppeditarunt horti in Adnexo memorati.

Arboreto-fruticetum, quod in plaga magna horti adusque recentissime inculta, foveis ac quisquiliarum collibus repleta – praeterito vere neo instaurare satagebam, <u>hodierna die</u>, undique collectis Specierum rariorum Seminibus – consummatum erit.

Deest nobis adhuc Pinicetum – exceptis aliquot vulgatissimarum specierum exemplaribus – <u>quod</u> attamen, jam proximo mense in plaga unius jugeri hungarici quoque me plene instaurare posse omnino spero.

Unum est – quod non aliunde, verum solum ac unice Tua benevolentia
mihi suppeditari valet, nimirum: aliquot exemplaria <u>Pinus pineae</u> et
<u>Oleae europeae</u>. –
Dum impensius <u>Te rogo</u>: ut eadem mihi subministrare velis – con-
victione et firma illa fiducia fretus sum „<u>me ea jam possidere</u>"!
Capedines ligneae pro illorum implantatione jam paratae sunt. –
Si Tibi exemplaria juniora 4–5–6 pedum altitudinis desunt;
ea mihi <u>erga aes paratum</u> aliunde gratiose procurare velis! –
De quavis specie 4–6 frusta dictae altitudinis opto; ne autem „ni-
mis desiderata illa" occasione transportus damnum aliquod patian-
tur; radices – terra propria obvelatae sarcinis necessariis muniantur
et <u>cistae</u> lege artis hortulanorum ita imponantur, ut <u>sarcinae</u> illae
lateribus cistae clavis ita affigantur, ne summitates arbusculorum
per motum <u>attritum</u> patiantur. – Velis hortulano Tuo has prae-
cautionum normas strictius inculcare; nimium etenim dolerem:
si Tua benevolentia mihi oblata, aut aere procurata, de integri-
tate sua quid perderent.
Ut autem oblectamento conspectus „Desideratissimorum" quo ocyus
frui valeam, simplicissimus modus is est: ut ego, expensas in
arbusculorum horum acquisitionem forsan faciendas una cum
transportus sumtibus occasione perceptionis – uti dicitur „ge-
gen Nachnahme" <u>hic</u> persolvam; qui modus speditoribus gratus.
Cum Notis cistae inscriptis „<u>Eilgut – Lebende Pflanzen</u>" via
ferrea tergestino-budensi – me <u>cuncta</u> <u>spatio trium dierum</u> per-

cipere posse — constat.

Subministra mihi occasionem Magister honoratissime: ut nomen Tuum in orbe botanico celeberrimum — hac Tua in Scientiae apud nos emolumentum manifestata benevolentia — in Instituto nostro specialius quoq indicareat et intuitu illorum, quae nobis amice suppeditasti — gratissime saepissimeq memorari valeat! —

In indicato modo — sperare quod mihi licet: amicum et collegiale hisce impensius exoratum et quo ocyus expectatum me doceat responsum!

Sit Tibi Salus — illud e corde precatur

Tui

Pestini Die 18va Martii 1865.

ignotus ac peregrinus aestimator

Dr. Linzbauer Xav.